

coercerent, modumque monopoliis ponerent ; adeoque peregrinantibus, imprimis vero mercatoribus, qui corruptis illis temporibus vix pedem libere proferebant, aliquantum libertatis naturalis restituendum curarent. vid. THYANVS L. XLVII.

X.

Sed præter eas, quas jam enarravimus, causas alia nunc, eaque gravissima, propter quam libera peregrinantium facultas, iter quacunque via profequendi, fuit imminuta, sese nobis offert, quæ ita comparata est, ut minus in se odii, quam reliquæ, ante a nobis in medium allatæ, continere videatur. Inveteratus nimirum reipublicæ nostræ morbus fuit, ut latrocinia in ea essent frequentissima, nullamque, dummodo extra fines illius, cujus quisque membrum erat, civitatis fierent, infamiam haberent. Quid ? quod, teste CAESARE *de B. G. I. 6.* ea juventutis exercendæ ac insidiarum minuendarum causa fieri prædicabantur. Et ab initio quidem Germani prisca, testante MELA *L. III. de situ orbis*, hospitibus mites bonique extiterunt. Sed postea nec his pepercerunt, verum, neglectis sanctissimis naturæ & gentium legibus, & contempta fide, qua tamen totius humani generis societas continetur, nulla personarum, rerum aut loci ratione habita, grassabantur, alterque alterum, aut sine omni causa, aut ex levi saltem, adoriebatur, neque prius quiescebat, quam animum sanguine, spoliis, incendiis, aliisque sceleribus, satiasset. Publicam igitur securitatem turbare, ad eo quidem usu receptum erat, ut nemo facile, sine vitæ bonorumque periculo, iter facere posset. Huic igitur malo, tum universo hominum generi exitioso, tum imprimis commerciis damnofo, ut obviam iretur, nulli quidem industriæ, nullique studio & labori pepercerunt imperantes, & si vel maxime intestina bella, quæ diffidationes a mediæ latinitatis scriptoribus dicuntur, tolli plane non possent, latrociniis saltem ut modus poneretur, studuerunt